



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXXXV. An peccauerit Angelus superbia per immoderatum
affectum suæ beatitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Respondeo, si quis in tali delectatione immoretur, cogitans se esse Deum, ea tamen ratione solum delectaretur, ut immunis esset à peccato, non peccaret peccato superbie: si autem in illo immoretur, quia indigne ferret, se esse Dei potestare: aut ea ratione appeteret omnibus præfieri: esset maximum superbie peccatum.

CAPVT III.

Angelum appetitu equalitatis Dei secundum essentiam peccasse, certum non est.

Quamquam non improbanda ratione monstratum sit, potuisse Angelum peccare appetitu superbo equalitatis cum Deo secundum naturam: tamen, an eius peccatum, quo primo de cecidit de statu illo felicissimo, tale fuerit, nondum à nobis explicatum est, in qua quidem controuersia, quod in facto posita sit, rationes firmæ non suppetunt: neque enim in omni re, & materia rationes, aut demonstrationes requirendæ sunt. Refertur nihilominus quid in hac difficultate Doctores senserint. Ex authoribus citatis c. præc. qui dicunt, potuisse angelum hoc genere superbie peccare, nullus est, præter Ioannem Maiorem, qui affirmet, angelos tali superbia peccasse.

Maiores autem probat, demones equalitatem Dei secundum naturam appetuisse, ex illo Mat. 14. Ascendam in celum, & ero similis Altissimo; quod inquit intelligi non potest de celo corporeo: quandoquidem & angelus, qui cecidit, iam erat in celo, quando peccauit: sed de celo spirituali Trinitatis. Verum cum verba illa historice dicta sint de Rege Babylonis, ut nos iam ostendimus præc. disp. c. 4. necesse est ea intelligere de celo corporeo, non quod rex ille uoluerit in corporeum celum se ipsa eleuari: sed ut ea phrasi & figura sermonis explicaret per hyperbolen Prophetam nimium affectum superbie, quo rex ille peccauit. In figura autem illius & non aliter verba illa demoni accommodari debent, ut ibidem etiam conuincimus.

Ex Patribus vero in 1. cap. allegatis, qui docent, aliquod genus equalitatis, & similitudinis cum Deo demones appetuisse, nullus est, præter Nazianzen. qui de equalitate secundum naturam loqui videtur: in oratione enim de seipso, contra eos, qui dicebant, ipsum cathedram Constantinopolitanam affectare, quæ est 27. nu. 8. ita scribit: *Hæc scilicet inuidia & Luciferum obscurauit ob mentis elationem prolapsam: indignum enim atque intolerandum dicebat, se, cum diuinus esset, non Deum quoque existimari.* Quibus verbis appetitus superbi equalitatis Dei, secundum naturam, quem habuit angelus, describi videtur. Neque enim obstat verbum illud, *existimari*, quod solum denotare videtur appetitum non equalitatis secundum rem, sed secundum speciem, & existimationem tantum: nam verbum illud, ita significare potest veram, sicut falsam existimationem: & facilius appetitus angeli in verâ existimationem Deitatis, quàm in falsam appetitum supplicis complacentiæ ferretur. Ceterum idem Nazianzen. in Carmine 6. quod est substantiis mente præditis, hanc sententiam clarius expressit his verbis:

Quocirca primus male sana mente tumescens Lucifer (eximio nam quod fueretur honore, sperabat regale Dei soliumque, decusque) Corruit amisso vili splendore, miserque. Dum Deus esse cupit, terra caligine totus Obscurus est.

CAPVT I.

68a

Adde etiam Glossam in illud Psalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* ubi inquit, diabolus, primoque nostros parentes peccasse, volentes rapere diuinitatem, & Magistrum in 2. disp. 6. c. 1. qui affirmat, angelum peccasse, quia similis Deo esse voluit.

Verum quamuis nullum esset absurdum affirmare, angelum peccasse, appetitu superbo equalitatis Dei secundum naturam, quia & hoc possibile fuit: tamen, quia nullum ad hoc alserendum firmum habemus fundamentum, non est ita sine ratione affirmandum: sed prædicta testimonia, & si quæ alia sunt, de equalitate aliqua per similitudinem sunt exponenda, quæ in quouis peccato superbie quodammodo inueniuntur. Cum enim certum sit, Angelum peccasse peccato superbie, certum etiam erit, aliquam Dei similitudinem affectasse.

DISPVT. CCXXXV.

An peccauerit Angelus superbia per immoderatum affectum suæ beatitudinis.

Quid Scholastici sine controuersia sentiant. cap. 1.

Tres modi explicandi & defendendi communem sententiam. cap. 2.

Probabilior modus defendendi communem opinionem. c. 3.

Obiectio contra superiorem doctrinam. cap. 4.

Qua ratione Angelus peccare possit appetitu beatitudinis naturalis. cap. 5.

Quomodo Angelus peccare poterit cupiens alij præferri. cap. 6.

CAPVT I.

Quid Scholastici sine controuersia sentiant.

Theologis Scholasticis non minus certe, & sine controuersia sententia est, peccasse angelum immoderato appetitu suæ beatitudinis, quam peccasse peccato superbie. Omnes enim constituunt in hoc genere excellentiæ affectum superbie, quo angelus primo peccauit. Sicut etiam omnes dixerunt, peccatum primum angeli fuisse superbiam. Loquuntur autem omnes, quos hic allegabo de beatitudine supernaturali, quam rationalis creatura sperat in præmium bonorum operum. Nam de beatitudine naturali pauci mentionem faciunt, ut infra videbimus.

Primum igitur peccatum Angeli fuisse affectum immoderatum suæ beatitudinis supernaturalis, ex nostris Scholasticis docent Antistodorense in 2. lib. Summa, tract. 2. c. 2. Albertus in 2. parte Summa, tract. 5. q. 21. memb. 1. Alexander 2. parte, q. 98. memb. 3. in corpore, & ad 5. & eodem memb. §. 1. ad 5. S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 3. & recentiores Thomista in hoc art. Albertus etiam in 2. disp. 5. art. 3. Egidius q. 1. art. 2. Ricardus art. 1. q. 3. Durandus q. 1. m. 14. Hervaeus q. 1. art. 3. in fine, & in solutionibus argum. Th. de Argumentis in 2. disp. 6. qu. 1. art. 1. & eadem dist. Scotus q. 1. post secundum §. Ad videndum. Bassoli qu. 1. §. Quantum ad secundum. Gabriel q. 1. art. 2. post conclusionem secundam. Maior q. 1. circa finem, in solutione 4. Capreolus in 2. disp. 4. q. 1. art. 1. concl. 1. & 2. & art. 3. in solutionibus argum. contra primam conclusionem. Marsilius in 2. q. 1. art. 5. concl. 6. & seq. corollariis Holcot. in 2. q. 3. Ferrar. 3. contra gentes, ca. 109. §. Circa id, quod dicitur. Ex Patribus vero in hac sententia fuisse Ambrosium in Epist. 84. Augustinum lib. 22. de ciuitate. 1. & Greg. li. 34. Moral. c. 17. alias 14. & lib. 3. c. 18. alias 23. quorum verba infra referemus, ego non dubito. Nonnulli etiam ex Scholasticis allegatis prædictam sententiam colligunt ex Ansel. lib. de casu diaboli, ca. 4. ex quo

Ex quo hæc verba referunt, *Appetit daemon illud, ad quod pervenisset, si scierisset.* Verba tamē quibus præcedens opinio ex Anselmo clarius confirmari posset, alia sunt. Cum enim dixisset, angelum duorum tantum genera bonorum appetere potuisse, aut iustum, siue honestum: aut commodum, quod nos delectabile communiter vocamus, quæ duo tantum propter se appeti possunt, subiungit hæc verba: *peccavit ergo volendo aliquid commodum, quod nec habebat, nec tunc velle debuit quod tamen ad augmentum beatitudinis illi esse poterat.* Ex his tamen sententia Scholasticorum colligi nequit. Neq; enim dicit Anselm. Angelum peccasse appetendo ipsam beatitudinem, sed appetendo aliquid peculiare bonum commodum, & delectabile, quod ad cumulum & augmentum suæ beatitudinis pertinere poterat. Hoc autem esse potuit genus aliquid excellentiæ, quo præcelleret ceteris: nam & hoc ad cumulum beatitudinis tanquam bonum peculiare, si a Deo ei concederetur, spectare poterat.

3.

Scotus vero existimans, fuisse sententiam Anselmi, Angelum peccasse appetitu beatitudinis, nititur illam probare tribus rationibus, quarum prima, iudicio Scoti desumpta ex ipso Anselmo, est huiusmodi: aut angelus peccavit appetitu boni, aut appetitu commodi, quod communiter vocamus delectabile: nam appetitu vilis, inquit

4.
Ratio Scoti
reijcitur.

Scotus, peccare non potuit, quia hoc non appetitur, primo & per se, sed propter honestum, aut delectabile, cum sit bonum tantum ut medium, ut supra docuit S. Th. quæst. 7, art. 6. atqui non potuit peccare appetitu honesti, ut constat: ergo peccavit appetitu commodi, seu delectabilis: quia hic appetitus debet esse primus. Hæc tamē ratio non est Anselmi, ut ex dictis manifeste patet: ite quidquam probat: nam quamvis peccaverit appetitu alicuius delectabilis: non fuit necesse, delectabile illud esse maximum delectabile: quia primus appetitus versari potest circa peculiare aliquid delectabile. Adde, quod primum etiam peccatum potest esse circa vile. Nam quamvis vile solum habeat bonitatem medij, & medium nō sit appetibile propter se, sed propter honestum, aut delectabile: tamen contingere potest, ut prima malitia proveniat non ex fine delectabili, sed ex medio utili: velut si quis, ut subleuet miseriam familiaris, aut amici, velit furari: furtum quidem appetit ut vile, & tamen prima malitia, imo tota, inde provenit. Idem etiam continget, si quis recreationis gratia querat pecunias, & non inveniens ex mutuo, velit eas furari. Mitto secundam rationem Scoti: quæ nihil aliud probat, quam præcedens.

Tertia ratio eodem recidit, quæ talis est: Facultas appetens, quæ consequitur facultatem cognoscentem, primum appetit delectabile convenientissimum: sicut appetitus consequens gustum, primum appetit summum delectabile gustui: quare si visus peccaret, peccaret quidem circa summum visibile: summum autem delectabile voluntati, est beatitudo: ergo circa illam Angelus peccavit. Verum hæc ratio non minus infirma est, quam præcedens, quia nec appetitu animalis, nec rationali primum appetitur id, quod summe delectabile est: sed appetitu animali id, quod primum occurrit, rationali vero, prout voluntas libere se moveri, potuit autem angelos se offerre prius aliud delectabile, quam beatitudo, &

Alia ratio
Scoti refellitur.

ARTIC. III.

quamvis illud primo se offerret, ponit illud ordinare velle: aliud autem peculiare delectabile appetere inordinare.

Mihi sane certissimum est, potuisse Angelum labi in peccatum superbiæ immoderate affectu suæ beatitudinis supernaturalis, ut inferius manifestum fiet. At tali affectu peccasse, ob tantorum virorum auctoritatem, mihi certe probabile sit. Id tamen certa aliqua ratione, aut traditione confirmari posse non video. Nec in hac re oportet admodum sollicitum esse, quando ingenium humanum talibus prædictis delictum eam assequi nequaquam potest. Cum enim sit res facti, & sensu valde remota, mirum esse non debet, nobis occultam esse.

Ceterum in defendenda communi sententia, quam retulimus, Scholastici allegati non eodem modo philosophantur. Opinionum autem varietas ad questionem etiam de possibili quodammodo spectat, quare, ut liquido saltem nobis constet, quo pacto Angelus peccare poterit peccato superbiæ, appetens sibi beatitudinem supernaturalem affectu immoderato, singulas sententias examinare necesse erit.

CAPVT II.

Tres modi explicandi, & defendendi communem sententiam.

VArti sunt modi, quibus hanc communem sententiam explicant & defendunt Doctores, qui eam amplectuntur. Primus sit eorum, qui dicunt, appetitum beatitudinis supernaturalis in Angelo fuisse inordinatum, & ad superbiæ pertinuisse; quia appetierunt excellentiam illius, non considerantes, auxilio & gratia Dei eam consequendam esse, cum tamen deberent id considerare: ita philosophantur Anisiodorensis, Hervæus, Durandus, Thomas de Argentina, Holcot, Marplus, & Maior locis citatis, & Ferrariensis 3. cont. gent. ca. 109. §. *Ad huius evidentiam*, & ca. 110. in principio. Sic etiam supponit Caiet. qu. 64. articulo secundo, §. *Ad hoc breuiter*. Addunt præterea, perinde esse appetere beatitudinem supernaturalem, nō considerando, eam esse consequendam per media gratiæ, atque illam propriis viribus consequendam desiderare. Cumque, hoc posteriori modo eam desiderare, sit peccatum superbiæ & præsumptionis, erit quoque, illam desiderare, non considerando media gratiæ, quibus est adipiscenda. Confugerunt autem prædicti authores ad hoc genus inconsiderantiæ, ne cogenter errorem aliquem intolerabilem in intellectu angelico concedere, quem necessarium esse fatent, eis videbatur, si peccatum eorum fuisset superbiæ, appetendo beatitudinem ultra debitum modum excellentiæ. Errorem autem in Angelo ante primum peccatum concedere, absolum ipsius vitium est. Propterea per inconsiderantiæ defectum, tale peccatum, commissum fuisse excogitant.

Hic tamen modus defendendi communem sententiam, duabus rationibus meo iudicio refellitur. Quarum prior est: tale peccatum Angelo accidere non potuit, nisi transgressus fuisset præceptum aliquod, quo debere appetere beatitudinem ex consideratione expressa divini auxilij: tale autem præceptum Angelus non habuit: ergo appetens beatitudinem sine consi-

deratione diuini auxilij, non peccauit. Porro nullo tali praecepto Angelum fuisse obligatum, non obscure monstrari potest. Aut enim tale praeceptum fuit naturale, hoc est, ex ipsa natura rei ortum, quamuis esset de obiecto supernaturali: aut fuit positum angelo sola Dei voluntate, quod positum in Scholis vocamus. Primum quidem naturale esse non potuit, quia praeceptum desiderandi beatitudinem debito modo, ad hoc solum obligat, vt illam expresse non desideremus adipisci sine auxilio Dei solis nostris viribus: nam quotidie desideramus, nos esse beatos & Deum clare intueri, nihil considerantes de gratia Dei, cuius auxilio eam adepturi sumus. Si autem quis dicat, quamuis non semper, aliquo saltem tempore necessarium esse beatitudinem sperare, & desiderare ex auxilio Dei: certe hoc difficile suaderi poterit. Si autem id probet, sufficiet tamen semel, praesertim in breui temporis intervallo, hoc modo beatitudinem desiderare. Atqui angelus iam in primo instanti, quo Deum dilexit super omnia, hoc modo beatitudinis amorem habuit: cum enim tunc ex fide dilexit Deum, & spem habuerit vitae aeternae, vt probatum est disp. 227. cap. 2. omne bonum acceptum, & quod futurum sperabat, in Deum auctorem omnium retulit: frustra igitur excogitabimus talem obligationem praecepti naturalis, ob quam angelus deberet semper in illa consideratione, & relatione actu permanere.

Deinde tale praeceptum non fuit positum: quia nec ratione, nec auctoritate probari potest, tale praeceptum impositum fuisse Angelo: quoniam ex Patribus nonnulli expresse docent, Angelum cecidisse nullo sibi imposito praecepto. Ita docent Orig. lib. 3. in Epist. ad Roman. illud capitulum tertium. Scimus autem, quoniam quaecunque lex, &c. Chrysost. to. 1. in homilia de Adamo, & Eua, ante medium, & hom. de lapsu hominis, circa principium, in quo assignat Chrysostomus differentiam inter lapsum hominis, & angeli. Nam angelus, nullo sibi imposito praecepto: homo vero, imposito praecepto, peccauit. Quare cum dicit Durandus quaestione citata, num. 15. potuisse esse peccatum Angeli in transgressione alicuius praecepti positiui, huic nostrae sententiae non contradicit. Neque enim affirmat, ita peccasse, sed potuisse peccare: quod longe diuersum est.

Posterior ratio contra eandem sententiam, & modum explicandi communem opinionem, est huiusmodi: vel illa in considerantia talis fuit, vt nulla omnino praecesserit cogitatio eius, quod considerare debebat angelus, nempe beatitudinem desiderandam tantum esse ex auxilio Dei: vel aliqua saltem in vniuersum praecessit cogitatio illius. Si nulla omnino, nec in vniuersum, praecessit cogitatio de illate, non potuit talis inconsiderantia, aut opus ex illa ad culpam imputari: nam, vt dicemus 1. 2. quaest. 76. artic. 2. ubi nulla praecessit de aliqua re cogitatio, non potest culpa imputari operatio, quae ex illa, aut cum illa sit ratione ipsius inconsiderantiae: nam per consultationem, aut libertatem non potest homo seipsum reducere ad primam consultationem, vt prima secunda quaestione 14. etiam ostendimus. Si vero aliqua praecessit in angelo consideratio diuini auxilij, saltem confuse & in vniuersum, sequitur, non peccasse Angelum ex inconsiderantia, vt Doctores huius opinionis contendunt: ac pro-

inde opus est faceri, fuisse in intellectu Angeli errorem: aut si potuit sine errore, & sine inconsiderantia, non est opus ad hunc modum philosophandi recurrere.

Possent quidem aliquis dicere, angelum in primo instanti considerasse necessitatem diuini auxilij ad consequendam beatitudinem, & ab hac consideratione in secundo instanti libere cessasse, & ita in eodem ex inconsiderantia peccasse. Verum hoc responsum parui momenti est: quia Angelus dum in primo instanti considerauit necessitatem diuini auxilij, aut considerauit etiam aliquo modo necessarium esse in ea consideratione permanere; & ita cessans ab ea non peccasset ex inconsiderantia: aut non cogitauit villo modo necessarium esse in ea consideratione permanere: & ita redit eadem difficultas superius posita. Mitto rationem quodammodo, qua probare contendunt, angelum alio modo peccare non potuisse, quam ex inconsiderantia, quia cum Angelus non possit appetere aliquod delectabile, quandoquidem non habet sensum, sed tantum honestum, & circa honestum non possit peccare, nisi ex inconsiderantia: sequitur non potuisse peccare nisi ex inconsiderantia. Hanc igitur rationem omitto, quia friuola omnino est. Nam delectabile non tantum reperitur respectu corporis, sed etiam respectu spiritus. Tam etiam quia sequeretur, nunc non peccare Angelum, quando Deum odio prosequitur, nisi ex inconsiderantia, & circa obiectum honestum, quod est absurdum. Adde etiam quod circa obiectum honestum ex se contingere potest peccatum alio modo, quam ex inconsiderantia, ex prava nimirum circumstantia, vt satis perspicuum est.

Secundus modus defendendi, & explicandi communem opinionem, est, quem assignat Scotus in quaestione secunda, §. Ad videndum, quem sequitur Gabriel loco allegato. Dicunt autem, ideo angelum peccasse appetitu immoderato beatitudinis, quia intensius amauit suam beatitudinem, quam debuerat, amando Deum vt bonum suum beatificum amore concupiscentiae intensius, quam amauit Deum amore amicitiae vt bonum in se. Haec tamen sententia friuola est: nam amare obiectum, quod ex se amari potest sine peccato, nunquam potest esse peccatum solum propter intensiorem circumstantiam enim, Quomodo, quae ponitur a S. Thoma 1. 2. 7. & ab Scholasticis inter circumstantias, nunquam tribuit primam malitiam actui, sed augeat tantum eam, quam inuenit, vt ex mente eiusdem S. Thomae ostendimus 1. 2. q. 18. art. 11. nisi fortassis quando esset praeceptum impositum, ne aliquis intensius operetur, quam vsq; ad certum gradum: hoc aut solum potest esse positum, vt patet: quia iure naturali opus virtutis, quacumque creat, nunquam potest esse malum. Atqui Angelo nullum positum fuisse praeceptum, supra monstrauimus: imo vero tale genus praecepti, videlicet ne quis intensius operetur, mihi difficile est. Quod vero quis intensius sibi amet Deum amore concupiscentiae vt bonum suum, quam amore amicitiae, vt in seipso bonus est, non est contra rationem amoris amicitiae, qui dicitur amor super omnia: cum enim dicitur super omnia, non intelligitur (vt aiunt) intensius, sed appetitiue: quod in eo tantum consistit, vt nihil contra Dei veram amicitiam

Secundus
modus.
Scotus.

Refellitur.

S. Thomas.

citiam quis diligit, non tamen ut nihil aliud intensius amet, ut vberius explicabimus 1. 2. quæst. 109. artic. 3. quare ego existimo, hoc modo non tantum Angelum non peccasse, sed etiam peccare non potuisse.

Tertius modus defendendi eandem sententiam fuit eiusdem Scoti eodem loco: asserit autem ideo Angelum peccasse, quia desiderans beatitudinem citius eam voluit obtinere, quam Deus voluit. Sed quamvis hoc modo potuerit angelus peccare, si habuisset præceptum non desiderandi beatitudinem, nisi tali tempore à Deo statuto, vel si indigne ferret non statim sibi concedi beatitudinem, quia esset appetitus propriæ dignitatis & excellentiæ ultra modum sibi concessum: nihilominus ridiculum est affirmare, hoc modo angelum peccasse.

CAP. V. III.

Probabilior modus defendendi communem opinionem.

13. QVamquam ut initio disputationis præmissum incertum satis sit, Angelum peccasse appetitu superbo suæ beatitudinis, quia res in facto consistit, cuius fundamentum aliquid firmum vix habere possumus: tamen probabilior modus, quo potuit angelus circa beatitudinem suam peccare affectu superbiæ, est, quem antiquiores & grauiores Scholastici sequuti sunt explicantes communem sententiam, quam in 1. cap. retulimus. Dicunt igitur Alexander, Albertus, Sanctus Thomas, Bonaventura, Egidius, & Bassolis locis citatis, angelos peccasse nimio desiderio suæ beatitudinis supernaturalis, quia eam propriis suis viribus adipisci concupierunt, & quamvis prædicti Doctores excepto Egidio, non explicant, utrum appetierit angelus expresso desiderio hoc modo habere beatitudinem: an solum propter inconsiderantiam diuini auxilij, de quo cogitare tunc deberet, dicatur peccasse appetendo beatitudinem propriis viribus quasi interpretatiue (ut aiunt) tamen, cum absolute loquantur, intelligere plane videntur, angelum peccasse expresse beatitudinem ex propriis viribus, & non tantum interpretatiue, propter inconsiderantiam diuini auxilij, cui erat innitendum, sicut aperte docuit Egidius loco allegato: imo addit Egidius, Angelum non solum appetuisse beatitudinem propriis viribus, sed etiam errore intellectus fuisse deceptum. Sentit enim, circa naturalia Angelum errare non posse, bene tamen circa obiecta supernaturalia. Similem quoque errorem tribuere videntur Angelo S. Thom. quæst. 64. artic. 2. ad 3. Bonaventura 2. dist. c. 7. prima parte, artic. 1. quæst. 2. cum dicunt, manifeste quidem in dæmone primum peccatum quoad affectum, quo appetiuit suam excellentiam, non tamen quoad hoc ut crederet, se posse eam consequi.

S. Thom.
Bonavent.

Ego vero, ut dixi hunc modum defendendi communem opinionem multo vtiorem existimo, ita ut certo credam hoc modo peccare potuisse Angelum expresso affectu beatitudinis consequendæ propriis viribus, ut infra ostendam; non tamen errore intellectus deceptum in hoc genus peccati lapsum fuisse. An vero hoc genere peccati re ipsa Angelus peccauerit, mihi compertum non est: præter Scholasticos tamen allegatos, pro hoc postremo modo opinandi, ita sunt aliqui Pa-

ARTIC. III.

tres, ut plane asserant, hoc modo peccasse. Primum quidem Ambrosius Epistola 84. ante medium, ubi dicit, describens genera superbiæ, ita loquitur: Non aliter instantur, qui cupiditate extollente, singularem omnibus appetunt anteferi: aliter vero inuicem, qui Dei auxilium resistentes, quæ fieri sine ipsius operone possunt, ex sua perfidia virtute contendunt. Et item Iam à Deo auferunt: hæc superbia à diabolo sumptu caritatem, qui quoniam suam quam à creatore acceperat, potentia & dignitate sibi placuit, sequi auctoritatem suæ glorie comparauit, cum iis Angelis quos in consensum impetrari iusserat, à celestibus sublimitate deiecit. Quibus verbis nihil clarius dici potuit ad ostendendum, primum peccatum, quo cecidit angelus, fuisse superbum appetitum consequendi beatitudinem supernaturalem propriis viribus. Deinde Angelus hoc ipsum non minus clare tradit 21. libro de ciuitate, cap. 1. his verbis, qui (scilicet Deus) cum præfuit Angelos quosdam per elationem, quæ ipsi sibi ad beatitudinem sufficere vellent, tanti boni desertores fuerunt, non eis ad eam hanc potestatem, &c. Postremo Greg. 12. 4. moral. cap. 7. alias 14. idem expressit hoc modo: Relicto enim, cui debuit inherere, principio suam sibi appetit (scilicet dæmon) quodammodo esse principium: relinquo eo, qui vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit. Et quamvis hi Patres videntur admittere errorem in angelo, quando eo peccato superbiæ peccauit: tamen in bonum sensum interpretandi sunt, ut in inferius dicemus.

Explicandum igitur nobis est primum, quæ ratione possit in Angelo, & in homine esse affectus superbiæ, & præsumptionis arrogando sibi dona Dei supernaturalia, & appetendo ipsam beatitudinem ex suis viribus contra eandem voluntatem hominis, & angelum moueri ad bonum opus, & ad malum ex libertate absque iudicio compositionis, & diuisionis in intellectu, sed sola simplici obiecti propositione. Cumque in tali apprehensione simplici error esse nequeat: fieri etiam potuit, ut homo, vel Angelus peccauerint hoc affectu superbiæ, & præsumptionis appetendo beatitudinem adipisci ex propriis viribus absque vilo errore. Eadem quoque ratione fieri potuit ut angelus, vel homo peccauerit appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam, absque vilo errore in intellectu non dico absque defectu, sed absque errore. Defectus autem qui semper præcedit, ut quæstione illa 77. articulo 2. explicabimus, & iam ex parte diximus disputatione 230. cap. quarto est, efficacia illa representari nobis, quæ ad peccatum mouere, quam ea, quæ à peccato retrahere debent. Potuit igitur Angelus apprehendere beatitudinem suam plenam & absolutam, ac si conueniret sibi ex propriis viribus & hac ratione potuit sibi complacere: sicut contra tritari potuit videns, se non posse regere suis viribus illum adipisci. Verique autem affectus esset superbiæ & præsumptionis tam ille qui consistit in affectu prosecutionis & complacentiæ, quam ille, qui consistit in affectu fugæ & displicentiæ, & in hoc contrarium eadem esset ratio: sed uterque esset intellectus, & ut dici solet simplex, sicut præcedenti disputatione capite 2. notatum est, cum assignaretur discrimen inter affectum efficacem, & simplicem. At vero affectu & voluntate efficaci non potuit Angelus

Angelus appetere consequi suam beatitudinem ex proprijs viribus: quia, vt loco citato dixi, & 1. 2. quæst. 13. art. 4. probabitur, voluntas effi-
 cax, quæ tendit ad rem opere exequendam non potest esse impossibile; sed statim ac intelle-
 ctus videt rei impossibilitatem, cessat à consulta-
 tione, electione, & à quacumque voluntate effi-
 caci, retenta solum soluitate simplicis compla-
 centiæ.

Deinde probandum est, angelum nullo erro-
 re deceptum peccasse hoc genere peccati, vel alio
 simili. Nam aut errauit, quia nesciebat, beatitu-
 dinem esse supra suas vires, & hoc nondum sibi
 reuelatum erat: & hoc non esset vllum peccatum,
 expresse appetere sibi beatitudinem suis viribus
 consequendam: quia ex ignorantia illam eo mo-
 do sibi desideraret, & ita à peccato excusaretur.
 Aut iam sciebat Angelus, se non posse consequi
 beatitudinem suam, quia sibi ita reuelatum erat,
 aut quia plane conuinctus erat, se non posse per-
 venire vi sui intellectus ad claram Dei visionem:
 siquidem quantumvis conaretur, in seipso expe-
 rireretur, vi sua non posse ad Dei visionem perue-
 nire: & hoc pacto errare non potuit Angelus in
 via existimans, se posse suis viribus beatitudinem
 suam consequi: siquidem & dæmones talem erro-
 rem non habent: imo nec habere possunt, cre-
 dunt enim, & contremiscunt ipsa veritate conui-
 cti, vt dicit Iacob. 2. cap. nec contra fidem aliquid
 credunt.

Sed dicit aliquis, potuisse quidem esse aliquem
 errorem in intellectu angeli, qui nullo modo ef-
 fet contra fidem nostram, eo modo quo S. Thom.
 2. 2. quæst. 162. art. 4. ad 1. docet, præsumptionem,
 qua aliquis præsumit, se habere bonum, quod
 non sit à Deo, vel gratiam sibi concessam ex me-
 ritis, non esse necessario coniunctam cum errore
 contra fidem, eo quod error contra fidem solum
 est existimatio in vniuersum, non autem existima-
 tio singularis: vt si aliquis existimaret vniuerse
 non omne bonum esse à Deo, & gratiam nobis
 dari ex meritis nostris, erraret contra fidem. Ad-
 dit vero exemplum S. Thomæ, veluti cum qui
 iudicaret vniuersum fornicationem esse bonam,
 esset infidelis: si autem iudicaret in casu peculiari,
 bonum sibi esse fornicare, iudicium tale non ef-
 fet contra fidem. Eandem doctrinam habet idem
 S. Doctor 2. 2. quæst. 20. art. 2. in corpore, & ad se-
 cundum, vt ostendat, desperationem esse sine in-
 fidelitate.

Mihi tamen difficile est excusare ab errore con-
 tra fidem iudicium illud singulare, sicut & iudi-
 cium vniuersale, si sub eadem ratione vtrumque
 habetur, vt latius ostendam 1. 2. quæst. 77. art. 2.
 nam si quis iudicaret, fornicationem esse bonam,
 hoc est, esse honestam, & secundum rationem,
 non solum peccaret contra fidem, iudicans hoc
 in vniuersum, sed etiam iudicans hoc de singulari
 fornicatione. Si autem quis iudicet, fornicatio-
 nem esse bonam, hoc est delectabilem: neque iu-
 dicans in vniuersum, nec iudicans hoc de singu-
 lari fornicatione contra fidem errabit. Eodem
 modo in peccato præsumptionis videtur dicen-
 dum, aut iudicium vniuersale & commune non
 esse contra fidem, si iudiciū singulare non est: aut
 si iudicium vniuersale est contra fidem, esse etiam
 singulare, si sub eadem ratione vtrumque habea-
 tur. Nam si quis intellectu iudicare, posse suis vi-
 bus consequi suam beatitudinem, & gratiam sibi pro-
 mereri, siue hoc iudicaret vniuerse, siue speciatim
 & singulariter in casu peculiari; contra fidem no-
 stram erraret: fides enim eodem modo docet vni-
 uerse nullam creaturam sibi sufficere ad conse-
 quendam suam beatitudinem, & ad promeren-
 dam sibi gratiam Dei, atque speciatim & singula-
 riter in quouis casu peculiari: ergo qui contra-
 rium iudicaret aut vniuerse, aut in casu peculiari,
 contra fidem eodem modo erraret.

Restat igitur, vt dicamus, Angelum peccare
 potuisse circa beatitudinem, appetendo illam im-
 moderate ex proprijs viribus per solam simplicem
 apprehensionem, qua proponeretur illi beatitudo
 eo modo, ac si acquisita fuisset proprijs viribus,
 vt supra explicatum est: aut certe, si iudicium ali-
 quod in Angelo præcessit compositionis: solum
 potuit iudicare bonum delectabile sibi videri ha-
 bere beatitudinem illo modo; quod sanè iudi-
 cium sufficiens esset ad mouendum affectum ad
 simplicem complacentiam, non tamen ad effi-
 cax desiderium adipiscendi beatitudinem: ad
 hunc enim affectum efficacem necessarium erat
 iudicium affirmans, possibile esse Angelo beati-
 tudinem consequi proprijs viribus, vt superius
 notauimus.

CAPVT IV.

Obiectio contra superiorem doctrinam.

His, quæ hæcenus dicta sunt, posset quis hanc
 difficultatem opponere. Si Angelus peccas-
 set peccato præsumptionis, non tantum peccas-
 set vno peccato superbiæ, sed etiam triplici gene-
 re peccati. Primo contra spem, quia præsum-
 ptio etiam opponitur spei, quæ innititur gratiæ,
 & meritis, vt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 21. artic. 2. S. Thom.
 Qui enim sine meritis gratiæ sperat consequi
 beatitudinem, inaniter sperat, & præsumere di-
 citur. Secundo peccaret contra magnanimitatem,
 quæ in eo consistit, teste Aristot. 4. Ethicorum, cap. 3. S. Thom.
 Et S. Thomas 2. 2. quæst. 129. vt moderetur affectum
 circa magnos honores & dignitates, quas ipsa
 appetit secundum rationem. Quare & præsum-
 ptio opponitur magnanimitati secundum excel-
 sum, vt tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 130. artic. 2. quæ-
 tenus homo appetit magna non simpliciter, hoc
 est, non secundum se magna, sed relata, hoc
 est suis viribus magna. Tercio peccasset An-
 gelus peccato superbiæ contra humilitatem:
 quia præsumptio etiam est species superbiæ,
 vt fatetur Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 162. ar-
 tic. 4. & tradidit Gregorius lib. 23. Moralium, cap. 4. Gregor.
 alias 7.

Respondeo primum, si dicamus angelum pec-
 casse peccato illo præsumptionis, nihilominus
 dicendum non esse, Angelum peccasse præsum-
 ptionis peccato, quod opponitur virtuti spei.
 Nam, vt rectè admonet S. Thomas 2. 2. quæst. illa 1.
 artic. 1. præsumptio, quæ opponitur spei, in eo
 posita est, vt quis à Deo speret aliquid per vir-
 tutem & misericordiam ipsius, sed non eo mo-
 do & ordine, quo Deus voluit: vt si quis à Deo
 speraret remissionem peccatorum sine peni-
 tentia, aut gloriam sine meritis ex gratia. Spes
 enim, quæ est virtus Theologica, respicit Deum
 vt formale obiectum, à quo aliquid speremus,
 quod proprium est obiecti formalis virtutis

Mmm

Theo-

20. Theologica; quare & vitium præsumptionis oppositum debet respicere Deum tanquam à quo speramus, ut ei peculiari ratione opponatur. Præsumptio autem quæ opponitur virtuti magnanimitatis, fertur solum ad excellentiam supra propriam virtutem, ac si non esset supra propriam virtutem.

Quid requiratur ad peccatum contra spem.

Deinde dicendum est, ad rationem peccati præsumptionis, quæ opponitur spei, debere esse contrarium desiderium, & simplicem affectum complacentiæ, sed etiam spem consequendi id, quod desideratur: spes autem nunquam esse potest, nisi aliquis credat, esse possibile, imò aliquomodo futurum id, quod sperat; atqui angelus non credidit, imò nec credere potuit; sibi esse possibile consequi suam beatitudinem proprijs viribus, & ita non speravit, ac proinde neque contra spem peccavit, sed solum simplici affectu desideravit; quod quidem non opponitur spei, sed alteri virtuti, ut infra explicabitur. Quod enim nonnulli constitunt habitum spei ad desiderandum simpliciter affectu beatitudinem, & ad delectationem de illa in patria, & ideo dicunt hunc habitum in patria manere, contra communem sententiã est, & facili ratione confutabimus 2.2. quæst. 20. & 3. par. quæst. 7. art. 4.

Postremo, quamvis verum sit, contra spem Theologicam peccatum esse posse, non solum sperando aliquid à Deo contra debitum modum, sed etiam sperando ab homine, aut ab angelo id, quod à solo Deo sperandum est, (sic enim peculiaris fieret irreverentia Deo, à quo sperandum esset: quod sanè non esset dicendum peccatum præsumptionis, sed alio nomine vocari deberet) tamen nullus potest peccare contra spem, sperando proprijs viribus consequi id, quod à Deo sperare deberet: eo quod nemo à se aliquid potest sperare propria virtute faciendum, nisi quatenus confidit se adiutorio Dei, quo indiget, aliquid rectè facturum. Ratio vero est, quia omnis actus sperandi habet pro obiecto arduum: arduitas vero, & difficultas in hoc posita est, ut ab alio id quod desideramus speremus: quod vero à nobis fieri desideramus, non speramus quatenus à nobis tantum futurum est; quia hac ratione facile est, neque obiectum esse potest spei, ut notavi supra disput. 8.4. cap. 1. speramus autem aliquando aliquid à nobis futurum, ratione remotionis impedimentorum, quæ ab alio removeri debent.

Quomodo humilitas à magnanimitate distinguitur.

Quod vero attinet ad id, quod in eadem difficultate proponebatur, quia videlicet ratione peccati præsumptionis distinguatur, prout opponitur magnanimitati & humilitati: & utriusque eadem virtus humilitas cum magnanimitate, an diversa, non est huius loci definire. Proponam nihilominus ea, quæ circa hanc rem scripta legi, & suo loco rem hanc definiendam in 2.2. locis allegatis, & Caietan. ibi plane docent, magnanimitatem & humilitatem esse duas virtutes distinctas; atque adeo præsumptionem esse peccatum duplici ratione his duabus virtutibus oppositum. Explicat autem Caietan. 2.2. quæst. 161. art. 1. rationem virtutis humilitatis, ut eam distinguat à magnanimitate, hoc modo, ut humilitas formaliter consistat in subiectione Deo debita, non tanquam præcipienti (hæc enim est obedientia) sed Deo simpliciter: quare & præsumptio in sententia Caietan.

Caietan.

24.

etiani pertinens ad peccatum superbiæ, & opposita virtuti humilitati, erit, nolle subijci Deo. Magnanimitas vero ex sententia ipsius est virtus, quæ verlatur circa dignitates, & honores secundum modum debitum & congruentem, & ita præsumptio opposita magnanimitati, erit immoderatus affectus honoris, & dignitatis ultra meritum debitam & congruentem. Verum hic modus non assignat sufficienter discrimen inter has duas virtutes, & inter illa duo vitia. Nam humilitas non tantum est in subiectione debita Deo, sed & in moderando affectum honoris & dignitatis. Eodem etiam modo superbia non tantum est, nolle subijci Deo, sed etiam appetitus, & complacentia in honore, & dignitate ultra debitum modum. Alio igitur modo distinguere debet magnanimitas & humilitas: præsumptio pertinens ad superbiã, quæ opponitur humilitati, & præsumptio opposita magnanimitati.

S. Thomas 2.2. quæst. 161. art. 1. inter illas duas virtutes hoc assignat discrimen, quod humilitas refrenat animum, ne immoderate tendat in excellentia: magnanimitas vero impellit contra desperationem ad magnam rerum consequutionem secundum modum debitum. Ex qua differentia difficile colligi videtur discrimen inter præsumptionem oppositam humilitati, quæ est species superbiæ, & præsumptionem oppositam magnanimitati.

Denique Martinus de Magistri quæst. de humilitate, existimat, eandem esse virtutem, humilitatem, & magnanimitatem. Probat autem, quia habent unum & idem contrarium, nempe præsumptionem sub eadem omni ratione, nempe prout est appetitus honoris excellentiæ & dignitatis ultra debitum modum. Pro qua sententia primo sic auctoritas Aristot. quia circa honores & dignitates nunquam aliam virtutem constituit, quam magnanimitatem tenentem medium, de qua tractat. 4. Ethicor. cap. 3. nec vquam alibi de humilitate tanquam de distincta virtute tractat. Virtus autem extrema & opposita magnanimitati inquit esse pusillanimitatem ex una parte per defectum, quia non curat de dignitate, & honore debitis: illum autem, qui peccat ex alia parte per excessum appellat lentum, quem nos superbum & præsumptum vocare possumus; de quibus latius suo loco dicemus. Hæc autem duo vitia opposita sunt humilitati: hæc enim per defectum fit pusillanimitas. Secundo S. Thomas 2.2. quæst. 161. art. 1. & 132. assignat tanquam vitia opposita magnanimitati vanam gloriam, & ambitionem per excessum. Quis autem, dubitet hæc vitia opponi humilitati? Tertiò pro hac opinione hæc ratio formari potest. Idem est medium inter eadem omnino extrema: quod servat magnanimitas & humilitas, nempe inter nimios honores & dignitates, & abiecta munia; & duos eosdemque habet actus utraque virtus; nam tam humilitas, quam magnanimitas impellit animum, ne recedat in honoribus & dignitatibus, non recedat magna; & utraque cohibet appetitum, ne tendat ad maiora: ergo eadem est virtus magnanimitatis & humilitatis. Nam medium inter extrema est formale obiectum virtutis constitutis quamlibet virtutem, & eam ab alijs distinguens. Parum igitur refert, quod sint duo actus, alter cohibendi appetitum, alter impellendi: cum sit

actus versentur inter extrema ad constituendum medium debitum inter illa. Nam omnis virtus, quæ versatur circa obiectum consistens in medio inter extrema, habet duos actus eodem modo, vt patet.

27. *Obiicitur.* At obijciat quis: Christiani sapienter ex virtute humilitatis eligunt sibi statum abiectissimum, & vilissimè se ipsos tractant, quod non videtur esse magnanimitatis; cum potius vergat in extremum pusillanimitatis, & tamen est opus humilitatis Christianæ, quam Aristot. & Philosophi non cognouerunt: ergo necesse est distinguere humilitatem à magnanimitate.

Respondio. Respondeo, hoc genus humilitatis Christianæ non esse alienum à vera magnanimitate, quam Philosophi nouerunt: quia cum Christiani considerent seiplos, non quatenus tali honore in republica, aut munere, quo funguntur digni sunt: sed quatenus seiplos apud Deum peccatores agnoscunt: plane vident & iudicant, non esse animi pusilli, sed magni, ita se ipsos tractare. Nihilominus cum hoc ex alia parte debent habere rationem muneris, quo funguntur aut Episcopi, aut Regis, aut alterius in Republica, ne in talibus operibus humilitatis ex consideratione peccati assumptis declinetur in vitium pusillanimitatis. Quamuis igitur Philosophi non nouerint hanc causam humilitatis, nempe considerationem peccati apud Deum: rationem tamen humilitatis in vniuersum non videntur ignorasse. Hæc sunt quæ mihi in hac difficultate obiter occurrunt proponenda: quorum definitio vique in secundam secundæ differtur.

CAPVT V.

Qua ratione Angelus peccare potuerit appetitu beatitudinis naturalis.

28. *S. Thom. Caietan. Ferrar. Hernand. Bassol.* Explicuimus hæcenus, quo modo potuerit Angelus peccare appetitu superbo beatitudinis suæ supernaturalis. Nunc vero restat examinandum, utrum appetitu beatitudinis naturalis peccauerit, an saltem peccare potuerit. S. Thomas, quem etiam sequitur Caietan. in hoc articulo, Ferrariensis, contra gentes, cap. 109. §. Circa primum modum, Hecuzus, & Bassolis loco citatis docent, Angelum peccasse appetitu immoderato beatitudinis naturalis, quia illa ipsi ita placuit tanquam vltimus finis, vt à beatitudine supernaturali se ipsum auerteret. Cum his etiam facit Egidius, & consentire videtur Ricardus, tamen in explicatione huius sententiæ non conueniant. Ricardus ita eam intelligit, vt Angelus ex deliberatione magis dilexerit suam propriam excellentiam, quam diuinam: qua quidem ratione videbatur in sua excellentia & beatitudine naturali finem vltimum constituere. Qua vero comparatione fuerit maior dilectio excellentiæ suæ, quam diuinæ, nempe quam diuinæ beatitudinis, quam à Deo accepturus erat, si perseuerasset, non explicat Ricardus.

S. Thomas hoc modo suam sententiam exponit, vt Angelus peccauerit appetendo ita similitudinem Dei, vt in sua naturali perfectione quiesceret sicut in fine vltimo: auerteret autem suum appetitum à supernaturali beatitudine, quam à Deo erat accepturus. Cæterum quia difficile visum est, Angelum primo suo peccato expresse voluisse auertere se ab vltima sua beatitudine su-

Vasquez in 1. part. tom. II.

pernaturali, ex quo etiam videretur concedendus error in intellectu Angel, vt tali affectu peccaret, quod est absurdum: ideo *Hernandus, Caietanus, Ferrariensis* capite illo citato. §. Ad euidentiā rationis, & recentiores *Thomista*, quibus etiam adde *Egidium* & *Bassolim* loco allegato, mentem S. Thomæ ita interpretantur, vt Angelus non peccauerit expressa voluntate auerendi se à beatitudine supernaturali; sed quia ita dilexit suam beatitudinem & excellentiam naturalem, vt illam non retulerit in supernaturalem, in quam debebat eam referre. Hanc autem omissionem relationis naturæ fuisse ex inconsiderantia, affirmant *Hernandus* & *Ferrariensis*: alij vero de inconsiderantia nihil dicunt.

Mihi tamen hic modus explicandi peccatum Angel ex illa omissione relationis minimè probatur. Tum quidem, si dicatur, fuisse ex inconsiderantia: nam sicut iam probaui cap. 2. non potuit peccatum Angelo accidere ex inconsiderantia. Tum etiam quia tale peccatum non esse superbiæ, si ex sola ratione omissionis Angelus peccasset, & ita hoc modo defendere non possemus communem sententiam, quæ asserit primum peccatum angeli fuisse superbiā. Nam si angelus aduerteret, præceptum sibi esse referendi suam excellentiam & beatitudinem naturalem in supernaturalem & non referret, non peccaret peccato superbiæ: eo quod delectari in propria excellentia, & beatitudine naturali, non tribuendo illam sibi vt auctori nec cogitatione, nec affectu etiam simplici, non est peccatum superbiæ: hoc enim peccatū est appetitus excellentiæ ultra propriam dignitatem: qui autem delectatur in propria naturali beatitudine, & excellentia, vt quod sit factus ad similitudinem Dei, capax gratiæ, & donorum, non appetit excellentiam ultra propriam dignitatem: ergo si Angelus hoc modo in beatitudine, & perfectione sua naturali delectatus fuisset, cum alias rectè cognosceret, se totum illud à Deo vt ab auctore accepisse, non peccasset peccato superbiæ. Neque verè peccasset peccato superbiæ, quia omisisset referre suam beatitudinem, & perfectionem naturalem in supernaturalem beatitudinem. Namque, si tale præceptum referendi beatitudinem naturalem in supernaturalem obligaret Angelum, & ille ita omisisset referre, vt ad culpam omissionis illa imputaretur, non fuisset peccatum superbiæ: quia non fuisset appetitus excellentiæ ultra propriam dignitatem nullumque superbiæ peccatum in omissione consistit, sed omne peccatum superbiæ est commissio: fuisset igitur omissionis peccatum vel contra spem, vel contra charitatem, ex quibus nasceretur obligatio illa referendi: quia reuera non fuisset solum omisso circumstantiæ, sed actus alicuius virtutis. Porro autem, etiam si complacentia illa in propria naturali excellentia fuisset causa non referendi, & ita transgrediendi præceptum alterius virtutis, non proinde fuisset peccatum superbiæ: veluti si quis cogitans se esse creaturam rationalem factam ad imaginem Dei, ita in hac cogitatione delectaretur, vt Missam, cuius erat præceptum, vel aliud opus præcepti omitteret, non peccaret peccato superbiæ.

Adde etiam, quod nulla ratione probari potest Angelum, in primo instanti habuisse præceptum referendi beatitudinem suam naturalem in

M m m 2 super-

Refellitur præcedens explicandi modus.

30.

31.

supernaturalem, ut capite secundo de alio simili præcepto dicebamus. Quia nec fuit positum præceptum, cum nullum fuerit Angelo positum, sicut ex sententia Patrum probauimus; nec ulla ratione ostendi potest, fuisse præceptum ortum ex ipsa natura rei, ut ibidem de alio simili deducebamus.

Mea igitur sententia est, peccatum Angeli potuisse quidem esse superbiam in appetitu, & complacentia beatitudinis naturalis; sed cum expressa auersione à beatitudine supernaturali, ut statim explicabitur, in quo hæc sententia maxime consonat doctrinæ S. Thomæ: at vero tali peccato Angelum peccasse, certo constare non posse. Atque ut ab hac posteriori parte incipiamus, certum in primis est, sola ratione colligi non posse, quale fuerit peccatum Angeli, cum res hæc in facto consistat. Quare sola autoritate id nobis constare debet. Ut autem in præcedentibus satis ostensum est, communis sensus Patrum solum docet, fuisse peccatum superbiam; quod sanè mille modis accidere potuit. At fuisse hoc, aut illud peccatum circa hoc, vel illud obiectum, certè ex ipsorum comuni doctrina non habemus. Quod si aliqui, ut supra vidimus, assignant aliquod obiectum, & modum huius superbiam in Angelo, nullus tamen dicit, peccasse Angelum appetitu suæ beatitudinis naturalis, auerendo se à supernaturali beatitudine. Verum Caietan. in fine huius articuli sibi habet persuasum, Angelum peccasse hoc peccato superbiam; quia superbus magis impellitur ad peccatum superbiam ex delectatione naturalis boni, & perfectionis. Ego vero non video, cur non asseueranter affirmare debeamus: præsertim in Angelo, cui, cum clare videret naturalem perfectionem, quam habebat, à Deo esse, non facile displiceret habere posse aliam maiorem ab eodem.

Quod vero attinet ad priorem partem, quæ solum est de possibili, certa ratione explicare & probare possumus. Angelum eo affectu superbiam peccare potuisse. Namque potuit ita Angelo placere sua ipsius natura, & perfectio naturalis, ut eis displiceret, se alia perfectione supernaturali & extrinseca indigere, quam à Deo per merita deberet expectare: in quo esset quidem auersio expressa à beatitudine supernaturali, non per actum efficacem, sed per simplicem affectum displicentiae, & manifestus esset affectus superbiam, & appetitus propriæ excellentiæ ultra debitum modum: qui sanè non tam esset superbiam peccatum, ex eo quod esset complacentia de propria excellentia, quam ratione auersionis à beatitudine supernaturali. Hic autem effectus contingere sanè potuit sine errore intellectus, ex sola simplici propositione (ut superius explicauimus) qua proponeretur sub specie aliqua malè indigere ulteriori perfectione extrinseca, nec sibi sufficere intrinsecam & naturalem perfectionem.

Cæterum ut defendamus, in appetitu & complacentia de beatitudine naturali fuisse peccatum superbiam, notat Ferrariensis, nihil obesse potuisse, quod amor naturalis perfectionis sit necessarius quoad specificationem. Cum enim sit liber quoad exercitium, hoc satis est, ut in eo sit libertas sufficiens ad peccatum. Sed cum peccatum hoc superbiam acciderit ex eo quod displiceret Angelo, se indigere extrinseca beatitudine, & in hoc affe-

ARTIC. III.

Et si fuerit libertas quoad exercitium, & quoad specificationem, non est, cur retineamus aliud quod notat Ferrariensis.

CAPVT VI.

Quomodo Angelus peccare potuerit appetitu alio præsertim.

Postremo ad explicandam naturam peccati, quod dicitur Angelus peccasse ex superbia tradunt Doctores, utrum appetierit præfere, aut præferre alijs: an saltem nulli subesse? Nam, & his duobus modis peccare potuisse superbiam, inferius clare patebit. Non pauci Doctores Scholastici de eo nulli etiam sancti Patres existimant peccatum Angeli in eo fuisse, ut desideraret alios præferre. Ex Scholasticis ita docuerunt Albertus 2. 2. par. quest. 98. membr. 3. in corpore, & secundum 4. 1. Qui simul etiam docet, peccasse in modo defectu beatitudinis. Idem etiam affirmant Bonaventura 2. 2. dist. 14. art. 1. quest. 2. Nicolai de Lyra in 1. 2. lud. Eliaz 14. In celum ascendam, & superius ad diuinitatem 2. illius capitis, & Torinus in replicatione, & Wilhelmus Parisiensis 1. parte 2. par. principis de vitijs cap. 109. & 110. Ex Patribus vero idem aliter patet August. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 11. his verbis. Postea quam superbus ille Angelus, ac per hoc inuidiosus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum transiit, per quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditum quamvis subditus eligens, de spiritali paradiso cecidit. Secundo Basilius Orat. 17. quæ est de humilitate, ubi ita loquitur: Qui (scilicet demon) cum se supra homines extulisset, infra omnes homines cecidit. Tertio Gregorius lib. 4. Moral. cap. 17. alias 14. sic loquitur: In perniciem libertatis appetiit (scilicet demon) ut præferat cæcis, & nulli subesset. Quarto Bernard. Serm. 17. & 19. in Cantica, manifestè assertit demonem appetisse præferre hominibus tanquam magistrum & caput, atque indigne tulisse, ut in remedium hominum verbum diuinum carnem sumeret; idcirco dixisse: *Ut quid perditus est vinctus?* Acti diceret, non opus erat tanto remedio. Vtrum autem Angelus appetierit præferre Angelis, an hominibus tantum: non eodem modo docent doctores: Basilius & Bernard. videntur asserere appetierisse angelum præferre solum hominibus: nam de Angelis nullam faciunt mentionem: alij vero videntur loqui respectu Angelorum: ego vero existimo angelum utroque modo peccare potuisse. Vtrum autem hoc, an illo modo peccauerit mihi compertum non est, nec video, unde tam illi colligere possumus.

Cæterum qua ratione Angelus præferre appetierit hominibus, aut Angelis, Doctores allegant non explicant. Hoc tamen certa ratione affirmare possumus, peccatum illius, ut esset superbia debuisse esse in appetitu, & complacentia, non excellentiæ naturalis, qua alijs naturaliter præerat (hæc enim complacentia, non fuisse peccatum superbiam: quod enim homo gaudet præferre se brutis animalibus, non est superbia peccatum) sed debuisse esse in appetitu alicuius excellentiæ, quæ suapte natura ipsi non conueniret: demonem appetierisset aliquam excellentiam supra propriam dignitatem: siue ergo illa fuerit excellentia rectoris hominum, ut perduceret eos in vitam æternam, siue aliam supra propriam dignitatem fuisse quidem peccatum superbiam, & ei accideret

32.
Angelum
peccasse ap-
petitu sue
beatitudi-
nis natura-
lis incoer-
dinate.

33.

38
Variè
contingit
hic app-
etitu.

potuit sine errore intellectus, sicut de appetitu æqualitatis Dei secundum naturam, & beatitudinis consequendæ ex proprijs vitibus superius ostendimus. Potuit denique angelo, qui alteri naturaliter subditus erat vtpote inferior illo secundum naturam, accidere peccatum superbiæ ex displicentia talis subiectionis, quia displiceret sibi esse altero inferiorem secundum naturam, & hoc etiam superbia esset, vt ex definitione superbiæ manifeste colligitur. An vero hoc modo angelus peccauerit, nemo definire potest.

Postremo inter aliquos ex Doctores in hoc capite allegatis dissensio est, an potuerit Angelus appetere non subesse Deo, & hac ratione ex superbia peccare: nam Patres allegati, qui dicunt, Angelum appetisse non subesse, non explicant, vtrum Deo, an alijs angelis. De supremo autem, si peccauit, certum esse debet, non ex eo peccasse, quod appetierit non subesse alijs per naturam, siquidem suapte natura omnibus ipse præerat. Reliqui vero hoc appetitu peccare potuerunt, vt diximus, & superbiæ peccatum esset. An vero potuerit angelus peccare appetendo non subesse Deo, inter aliquos Doctores in questione est. Nicol. de Lyra, & Toring. locis allegatis, existimant, angelum appetisse non subesse Deo, vt regulæ operationum: at non subesse Deo secundum esse non potuisse angelum appetere, quia prius illud erat possibile, ac proinde sub appetitu angeli cadere potuit: posterius autem possibile non erat, & ideo illud non potuit angelus appetere: nam impossibile quoad ordinem essendi, inquit Toringus non potest esse voluntas: impossibile autem in ordine agendorum potest esse, quia multa in eo ordine sunt secundum se possibilia, quæ tamen alicui sunt impossibilia. Huiusmodi sunt, quæ appellantur Cæter. vt vidimus cap. 3. huius disput. impossibilia per accidens vt præterito iam peccato non peccasse.

Mihi tamen placet opinio Burgens. locis citatis, qui affirmat, potuisse angelum velle Deo nullo modo subesse, & hoc modo ex superbia peccare: non tantum non subesse Deo præcipienti, sed etiam neque Deo subesse secundum esse: non effiaci desiderio, quia videbat angelus, hoc esse impossibile, & impossibile non est voluntas efficax, sed simplici affectu, eo quod displiceret illi, esse Deo inferiorem secundum naturam: & hoc quidem esset superbiæ peccatum, vt patet. Posse autem esse affectum simplicem complacentiæ, aut displicentiæ circa impossibile, & sine errore in intellectu satis a nobis probatum manet c. 2.

Porto autem appetitus, quo angelus vellet Deo, vt præceptor, non subesse, variè contingere posset. Primum posset angelus velle, Deo non subesse secundum potentiam, hoc est ita liberum esse ab imperio Dei, vt Deus præceptum ei imponere non posset & hoc ita est impossibile, sicut Deo, non esse inferiorem secundum sententiam: ac proinde idem omnino de hoc affectu & de illo præcedenti dicendum est, nempe potuisse esse affectum simplicem: qui sanè esset peccatum superbiæ. Deinde posset angelus appetere, Deo actu præcipienti non subesse, & hoc dupliciter vno modo transgrediendo præceptum eius: & hic affectus posset esse efficax, esset autem peccatum, non superbiæ, sed inobedienciæ specialis, si fieret ex intentione expressa non parendi, iuxta ea quæ

Vides in 1. part. tom. II.

dicemus 1. 2. q. 7. art. 8. nam si fieret sine hac intentione expressa, solum esset peccatum in ea specie in qua constituta esset materia præcepti iuxta ea, quæ ibidem etiam notabimus. Altero modo posset angelus appetere, non subesse præcepto, indigne ferens sibi imponi præceptum, quasi indignum putaret, sibi aliquid à Deo inherere: & hic esset affectus superbiæ. Hæc dicta sufficiant de tota hac controuersia, in qua sigillatim ostendimus, quibus modis Angelus peccare potuerit. Quod autem ad factum attinet & peccatum, quo peccauit, quid sit certum, quid vero non tam certum, obiter etiam monstrauimus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliqui demones sint naturaliter mali.

Ad quartum sic proceditur. Videretur, quod aliqui demones sint naturaliter mali. Dicit enim Porphy. vt August. introducitur 10. de Ciuitate Dei, quod est quoddam genus demonum natura fallax, simulans Deos, & animas defunctorum. Sed esse fallax est esse malum. Ergo aliqui demones sunt naturaliter mali.

2. Præterea. Sicut Angeli sunt creati à Deo, ita & homines, Sed aliqui homines sunt naturaliter mali. De quibus dicitur Sapient. 17. Erant eorum malitia naturalis. Ergo & angeli aliqui possunt esse naturaliter mali.

3. Præterea. Aliqua animalia irrationalia habent quoddam naturales malitias, sicut vulpes naturaliter est subdola: & lupus naturaliter est rapax, & tamen sunt creatura Dei. Ergo & demones, licet sint creatura Dei, possunt esse naturaliter mali.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 4. cap. de diuin. nomin. quod demones non sunt naturaliter mali.

Respondeo dicendum, quod omne quod est in quantum est, & naturam habet aliquam, in bonum aliquod naturaliter tendit, vtpote ex principio bono existens, quia semper effectus conuertitur in suum proprium. Contingit autem alicui bono particulari aliquod malum esse adiunctum, sicut igni coniungitur hoc malum, quod est esse consumptum aliorum. Sed bono vniuersali nullum malum potest esse adiunctum. Si ergo aliquid sit cuius natura quidem ordinetur in aliquod bonum particulare, potest naturaliter tendere in aliquod malum non in quantum malum, sed per accidens, in quantum est coniunctum cuidam bono. Si vero aliquid sit, cuius natura ordinetur in aliquod bonum secundum communem boni rationem, hoc secundum suam naturam non potest tendere in aliquod malum. Manifestum est autem, quod quælibet natura

Mmm 3

in-

intellectualis habet ordinem in bonum vniuersale, quod potest apprehendere, & quod est obiectum voluntatis. Vnde cum dæmones sint substantiæ intellectuales, nullo modo possunt habere inclinationem naturalem in aliquod quodcumque malum. Et ideo non possunt esse naturaliter mali.

Ad primum ergo dicendum, quod August. ibidem reprehendit Porphy. de hoc quod dixit, quod dæmones erant naturaliter fallaces: dicens eos non esse naturaliter fallaces, sed propria voluntate. Porphyrius autem hac ratione posuit dæmones esse natura fallaces: quia ponebat dæmones esse animalia habentia naturam sensitivam. Natura autem sensitiva ordinatur ad aliquod bonum particulare, cui potest esse coniunctum malum. Et secundum hoc aliquam inclinationem naturalem habere possunt ad malum per accidens, tamen in quantum malum est coniunctum bono.

Ad secundum dicendum, quod malitia aliquorum hominum potest dici naturalis vel propter consuetudinem quæ est altera natura, vel propter naturalem inclinationem ex parte naturæ sensitivæ ad aliquam inordinatam passionem, sicut quidam dicuntur naturaliter iracundi vel concupiscentes. Non autem ex parte naturæ intellectualis.

Ad tertium dicendum, quod animalia bruta secundum naturam sensitivam habent naturalem inclinationem ad quædam particularia bona, quibus coniuncta sunt aliqua mala, sicut vulpes ad quærendum victum sagaciter, cui adiungitur dolositas. Vnde esse dolosum non est malum vulpi, cum sit ei naturale, sicut nec esse furiosum est malum cani: sicut Dionys. dicit c. 4. de diuin. nomin.

Notationes circa Articulum.

Conclusio est negans, & circa controuersiam. Circa quam notandum est, duplicem sensum illius esse posse. Prior sensus est Angelos non esse secundum naturam suam & substantiam malos. Et hoc de fide est definitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in capite Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, & in Concilio Bracharensi i. Canone & à Leone I. in Epist. i. quæ est ad Turribium cap. 6. ubi idem definit contra Priscillianistas, qui in hoc errorem sectabantur Manichæi, & dicebant, dæmonem naturam suam malum esse, & autorem omnis mali, nec unquam fuisse bonum neque à Deo bonum factum: sed ex chaos & tenebris emerisse: in quo errore fuit Manichæus, ut testatur August. lib. de heresib. cap. 46. Posterior sensus conclusionis est, Angelum non esse naturaliter malum, & in hoc sensu etiam est vera conclusio: quia reuera in angelo non est naturalis aliqua inclinatio ad malum.

Contra Lat.
Brach.

August.

ARTIC. V.

Omissa vero ratione S. Thom. quam habet in littera, alia non minus facili probari potest, quæ talis est. Quia in angelo non potest esse inclinatio ad peccatum, nisi ratione voluntatis, quæ sola est principium peccandi; voluntas autem rationalis creaturæ non potest naturaliter ad malum peccati inclinari: naturalis enim inclinatio voluntatis alia esse non potest, quam inclinatio per modum naturæ, hoc est, per necessariam determinationem ad unam partem, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem; atqui nulla voluntas creata inclinari potest necessario ad aliquod peccatum, neque quoad exercitium, quia nullum est obiectum peccati, quod ita diligatur à voluntate, ut non possit non diligi, neque quoad specificationem, quia nullum peccatum ita amat voluntas, ut non possit odio illud habere: ergo nullo modo voluntas creata inclinatur ad peccatum. Dicitur autem non potest naturalis inclinatio ad peccatum in creatura rationali per modum potentie innatæ tantum ad suscipiendam formam, quia hæc inclinatio solum dicitur naturalis, quando est ad naturalem perfectionem. Nec latet est, esse capacitatem ortam ex proprijs principijs: nam respectu formæ super naturalis hæc capacitas dicitur non naturalis, sed obediens, quare respectu peccati, quod est contra naturam, non debet dici naturalis. Ceterum in homine rationabilis est naturalis quædam inclinatio ad opus, quod a cedente consensu libero voluntatis est peccatum, ut l. 2. q. 71. art. 2. explicabitur: est igitur in demonibus libera inclinatio ad peccatum & nullo modo naturalis. Præterea circa doctrinam Aristot. contra aliquos recentiores Theologos obicitur, perperam ab eis colligi, ex eo Angelum non posse peccare in pura natura contra legem naturalem, quod non habeat inclinationem naturalem ad malum: nam, ut peccare possit, non requiritur talis inclinatio, sed sufficit libertas voluntatis: alioquin & homo non posset peccare contra legem naturalem; quia quamuis habeat naturalem inclinationem ex parte appetitus ad opus accedente consensu esset peccatum, tamen non habet naturalem inclinationem ad consensum ipsum peccati; ex quo ratio peccati essentialiter pendet.

ARTICVLVS V.

Utrum diabolus fuerit malus in primo instanti sue creationis, per culpam propriam voluntatis.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod diabolus in primo instanti sue creationis fuerit malus per culpam propriam voluntatis: dicitur enim Ioan. 8. de diabolo: ille homicida erat ab initio. 2. Præterea. Secundum August. i. super Genes. ad lit. Informitas creature non præcessit formationem tempore, sed ordinem. Per cælum autem quod legitur primo creatum, ut ipse dicit in i. lib. intelligitur natura angelica informis. Per hoc autem quod dicitur, quod Deus dixit, Fiat lux, intelligitur formatio eius; per conuersionem ad verbum. Similiter ergo natura angelica creata est, & facta est lux: sed simul dum facta est lux, distincta est à tenebris.

tenebris, per quas intelliguntur Angeli peccantes. Ergo in primo instanti suæ creationis quidam angeli fuerunt beati, & quidam peccauerunt.

3. Præterea. Peccatum opponitur merito. Sed in primo instanti suæ creationis aliqua natura intellectualis potuit mereri, sicut Anima Christi, vel etiam ipsi boni Angeli. Ergo & demones in primo instanti suæ creationis potuerunt peccare.

4. Præterea. Natura angelica virtuosior est, quam natura corporea. Sed res corporalis statim in primo instanti suæ creationis incipit habere suam operationem, sicut ignis in primo instanti quo generatus est, incipit moveri sursum. Ergo & angelus in primo instanti suæ creationis potuit operari. Aut ergo habuit operationem rectam, aut non rectam. Si rectam, cum gratiam habuerint per eam, meruerunt beatitudinem. In Angelis autem statim ad meritum sequitur præmium, ut supra dictum est. Ergo fuissent statim beati, & ita nunquam peccassent. Quod est falsum. Relinquitur ergo quod in primo instanti non rectè operando peccauerunt.

Sed contra est, quòd dicitur Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Inter ea autem erant etiam demones. Ergo, & demones aliquando fuerunt boni.

Respondedo dicendum, quòd quidam posuerunt quod statim demones in primo instanti suæ creationis mali fuerunt, non quidem per naturam, sed per peccatum propriæ voluntatis; quia ex quo est factus diabolus, iustitiam recusavit. Cui sententia, ut August. dicit II. de Civitate Dei, quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, id est Manichæis, qui dicunt, quod diabolus habet naturam mali. Sed quia hæc opinio auctoritati scripturæ contradicit; dicitur enim sub figura principis Babylonis de diabolo, Isai. 14. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Et Ezech. 28. In delicijs paradisi Dei fuisti, dicitur ad diabolum sub persona regis Tyri; ideo à magistris hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobata est. Vnde aliqui dixerunt, quod angeli in primo instanti suæ creationis peccare potuerunt, sed non peccaverunt. Sed hæc opinio etiam à quibusdam reprobatur ea ratione; quia cum duæ operationes consequuntur, impossibile videtur, quod in eodem nunc utraque operatio terminetur; manifestum est autem quod peccatum angeli fuit operatio creatione posterior. Terminus autem

creationis est ipsum esse angeli. Terminus verò operationis peccati est, quod sunt mali. Impossibile ergo videtur quod in primo instanti quo angelus esse cœpit, fuerit malus. Sed hæc ratio non videtur sufficiens. Habet enim solum locum in moribus temporalibus, qui successiue aguntur. Sicut si motus localis sequitur ad alterationem non potest in eodem instanti terminari alteratio, & localis motus. Sed si sunt mutationes instantaneæ, simul & in eodem instanti potest esse terminus primæ & secundæ mutationis; sicut in eodem instanti in quo illuminatur Luna à Sole, illuminatur ac à Luna. Manifestum est autem, quod creatio est instantanea, & similiter motus liberi arbitrij in angelis. Non enim indigent collatione & discursu rationis, ut ex supradictis patet. Vnde nihil prohibet, simul & in eodem instanti esse terminum creationis, & terminum liberi arbitrij. Et ideo aliter dicendum est quod impossibile fuit angelum in primo instanti peccasse per inordinatū actum liberi arbitrij. Quamvis enim res aliqua in primo instanti quo esse incipit, simul incipere possit operari; tamen illa operatio quæ simul incipit cū esse rei, est ei ab agente à quo habet esse; sicut moveri sursum inest igni à generante. Vnde si aliqua res habeat esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiva actionis, poterit in primo instanti in quo incipit esse, habere defectivam operationem; sicut si tibia, quæ nascitur clauda ex debilitate feminis, statim incipiat claudicare. Agens autem, quod angelos in esse produxit, scilicet Deus, non potest esse causa peccati. Vnde non potest dici, quod diabolus in primo instanti suæ creationis fuit malus.

Ad primum ergo dicendū, quod sicut August. dicit II. de Civitate Dei, cum dicitur quod diabolus ab initio peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, scilicet quia nunquam à peccato suo recessit.

Ad secundum dicendum, quod illa distinctio lucis & tenebrarum, secundum quod per tenebras peccata demonum intelliguntur: accipienda est secundum Dei præscientiam. Vnde August. dicit II. de Civitate Dei, quod solus lucem accedens tenebras discernere potuit qui potuit etiam priusquā caderent, præscire castros.

Ad tertium dicendum, quod quicquid est, in merito est à Deo. Et ideo in primo instanti suæ creationis angelus mereri potuit. Sed non est similis ratio de peccato, ut dictum est.

Mmm 4

Ad

Ad quartum dicendū, quod Deus non discreuit inter angelos ante auersionem quorundam & conuersionem aliorum, vt Auguſt. dicit 11. de Ciuitate Dei. Et ideo omnes in gratia creati in primo instanti meruerunt. Sed quidam eorum statim impedimentū præſtiterunt ſuæ beatitudinis præcedens meritū mortificantes. Et ideo beatitudine, quam meruerunt, ſunt priuati.

30. **P**rior conclusio eſt. *Angeli mali non peccarunt in primo instanti ſuæ creationis. Poſterior conclusio. Nullus Angelus in primo instanti peccare potuit.*

DISPV. CCXXXVI.

An potuerit Angelus in primo instanti ſuæ peccare.

Angeli in primo instanti non peccaſſe, communis & verior ſententia eſt. c. 1.

Angeli in primo instanti potuiſſe peccare, quidam affirmant. alij negant. c. 2.

Iudicium de vtraque ſententia. c. 3.

In primo instanti ſuæ creationis Angelos mereri potuiſſe, cap. 4.

CAPVT I.

Angeli in primo instanti non peccaſſe, communis & verior ſententia eſt.

Ex ijs, quæ diximus diſput. 226. manifestum erat, Angelos non peccaſſe in primo instanti ſui eſſe. Oſtendimus enim contra non paucos Scholaſticos, angelos in gratia conditos fuiſſe, cum qua peccatum, ne de potentia quidem Dei abſoluta eſſe poſſe, certiffimum nobis eſſe deberet, qui contra hæreticos noſtri temporis defendimus veram iuſtitiam & ſanctitatem iuſtis inhaerentem, vt 1. 2. q. 113. art. 2. monſtrabimus. Verum quia inter eos Doctores, qui negant, angelos in gratia conditos eſſe plerique etiam exiſtimant, angelos nihilominus in primo instanti non peccaſſe: vnus autem, aut alter ſolum oppoſitum docet, ideo antequam queſtionem propoſitam de poſſibili examinemus, ſtatueri in primis viſum eſt, quam certum eſſe debeat, angelos in primo instanti non peccaſſe.

Ex ijs igitur, qui docent, angelos in gratia Dei conditos non eſſe, Auguſt. Eugubini. lib. 8. de perenni Philoſophia, cap. 38. affirmare non dubitauit, malos angelos ab initio ſuæ creationis peccaſſe. Citat autem in ſuam ſententiam Theodorum quendam Theologum Latinum, & verba illius, quibus hoc expreſſe aſſeruit. Eandem ſententiam vt probabilem deſenderat prius Alexand. 2. p. q. 98. m. 11. non tamen ſatis conſentaneæ ſuis principijs, quæ inferius videbimus. Ex Patribus vero in ea fuiſſe videtur Auguſt. lib. 11. de Geneſi. ad literam, cap. 23. vbi inquit, diabolus cecidiſſe non ab eo, quod acceperat, ſed ex eo, quod acciperet, ſi ſubdi voluiſſet. Et lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 13. cum affirmat, eum, qui exiſtimat angelos ab initio ſuæ creationis voluntate propria peccaſſe, non ſentire cum Manichæo: quia Manichæum docuit, angelos non ſolum propria voluntate, ſed etiam natura malos eſſe: ille autem ſolum aſſereret, angelos ab initio ſuæ creationis propria ſolum voluntate malos

ARTIC. V.

fuiſſe & cecidiſſe. Vt autem admonet Auguſt. lib. 11. de Geneſi. cap. 23. Si angelus natura ſua à Deo malus factus eſſet, non diceretur cecidiſſe. In Scriptura vero nullum pro hac ſententia inuenio fundamentum, quod ſpeciem aliquam habeat probabilitatis: præter illud Ioannis 8. ille (ſcilicet dæmon) homicida erat ab initio, & in veritate non ſteſit.

Oppoſita tamen ſententia certiffima eſt, & contrauni omnium Scholaſticorum calculo confirmata, qui omnes in 2. diſtinct. 4. locis allegatis à nobis diſput. 226. cum S. Thom. in hoc art. ſentiant, angelos non peccaſſe in primo instanti, tamen inter ſe diſſentiant, vtrum creati fuerint in gratia, an in pura natura. Atque hanc opinionem adeo veram cenſet, S. Thom. & Bonauent. vt S. Thom. oppoſitam erroris inſimulet; Bonauent. vero dicat, ad hæreſim proximè accedere. Reſerunt autem Bonauent. & Thom. de Argentina damnatam fuiſſe ab Epilcopo Pariliensi cum omnibus Theologis illius vniuerſitatis: in cuius damnationis confirmationem multa conuerſus recentiores Theologi, quæ ſigillatim examinare oportet. Sed in primis ex Auguſtino vt certum habeamus, non incidere in hæreſim Manichæi, qui dixerit, angelum voluntate propria ab initio ſuæ creationis peccaſſe, quod & nos optima ratione ſupra conuicimus.

Ceterum videamus, quæ ſint Scripturæ teſtimonia, quibus ſententiam Eugubini damnare nonnulli contendunt. Alterum eſt illud 1. 2. q. 98. m. 11. do cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris. Huius autem ſimile eſt illud Ezech. 28. In delictis Paradisi Dei fuiſti. Quibus probari videtur deſertorem prius in gratia Dei fuiſſe. Hæc tamen teſtimonia non eſſe intelligenda in ſenſu literali de dæmone, ſatis ſuperque oſtenſum eſt ſupra diſput. 22. cap. 4. per figuram autem, & accommodationem de dæmone intelligi, non videtur ſatis ad deſinendum rem de fide, niſi quando conſtat Spiritum ſanctum voluiſſe aliquo facto vnius ſignificare factum alterius.

Alterum teſtimonium ſic illud Ioan. 8. In veritate non ſteſit, hoc eſt in ſanctitate, in qua conditus eſt. Ex hoc tamen non ſatis probari, angelum in gratia prius fuiſſe, quam peccaret, ſuſtus oſtendi diſput. 227. cap. 2. ex quo etiam conuelliſſet fundamentum ſententiæ Eugubini, qui ex illo teſtimonio ideo probat angelum ab initio ſuæ creationis peccaſſe, quia dicitur, ille homicida erat ab initio, nam particula illa, ab initio, non denotat iplum momentum indiuiduum ſuæ creationis, aut totius mundi: ſed parum poſtinitium mundi, ratione cuius paræ diſtantiæ dicitur, ab initio, vel quia in paradiso decipiens noſtros primos parentes, ſpiritualiter ipſos occidit, vel quia non multum poſt decepit Cain, vt occideret fratrem ſuum Abel: qui ſentus meo iudicio magis quadrat textui Ioannis. Ibi enim Iudeis, qui volebant Chriſtum corporaliter occidere, dicit Chriſtus, Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris vſtri vultis perſecutari: ille homicida erat ab initio, hoc eſt, ab exordio mundi ſuaſit homicidium. Nam & idem Ioannes in prima ſua Canonica, cap. 1. dixiſſet. In hoc maniſeſti ſunt Filij Dei, & filij diaboli, omnis qui non eſt iſtus, non eſt ex Deo, & quædam diſtinctio fratrem ſuum, quoniam hæc eſt annuntiatio quam auſiſti ab initio vt diligatis alterutrum; quibus fratrem annuntiatio